

NICOLAUS MANIACUTIUS
«VITA SANCTAE PRAXEDIS» (BHL 6920C)

trascrizione a cura di Francesca Marinoni

All'interno di un contesto caratterizzato, sia nei tempi moderni, sia – per quanto ci è concesso di sapere – nei tempi antichi, dalla scarsità di materiale che tratti le gesta delle vergini e martiri Prassede e Pudenziana, risulta singolare la *Vita* attribuita a Nicola Maniacutia¹ che, decisamente notevole per estensione, riporta una cospicua quantità di informazioni e aneddoti sulla vita di queste sorelle cristiane.

Le evidenti somiglianze tra questa *Vita* e la *Vita Hieronymi*, ormai attribuita con certezza al dotto Maniacutia, hanno contribuito a decretare la paternità dell'opera: oltre allo stile, alla lingua e all'utilizzo circostanziato di alcune fonti, risultano avere un carattere distintivo e comune a entrambe le *Vitae* gli ampi prologhi, veri e propri manifesti programmatici delle intenzioni filologiche e compositive dell'autore, di cui traspare la volontà di riscrivere delle gesta di questi santi attraverso il vaglio dell'intera tradizione, esplicitamente giudicata corrotta e inadeguata alla celebrazione. In quest'ottica, assume grande importanza l'analisi delle fonti utilizzate, sia perché significative di una precisa scelta critica, sia perché, attraverso questo studio, risulta possibile comprendere l'effettivo *modus operandi* dell'autore in termini di composizione del testo.

In particolare, il Maniacutia utilizza l'impianto narrativo della *Vita* dello Pseudo Pastore, in cui confluisce anche la tradizione relativa a san-

1. Cfr. per un profilo dell'autore la voce *Maniacutia, Nicolò* di Paolo CHIESA in *Dizionario Biografico degli Italiani*, vol. 69, Istituto della Enciclopedia Italiana, Roma 2007, pp. 30-2; e lo studio di Vittorio PERI *Nicola Maniacutia: un testimone della filologia romana*, in «Aevum» 41 (1967), pp. 67-90.

ta Pudenziana (BHL 6988 e 6989), e lo arricchisce in misura assai consistente con citazioni ispirate dal repertorio biblico e con informazioni presumibilmente tratte da altre testimonianze al momento difficilmente identificabili ma che nel XII secolo, considerata l'importanza del culto delle sante nella città di Roma, dovettero essere molto diffuse nell'ambito locale. Anche le peculiarità dei personaggi presenti nella narrazione risultano definite con la medesima cura: la descrizione di Pio si fonda, infatti, su quanto trasmesso dal *Liber Pontificalis*; i ritratti di Prassede, Pudenziana e del padre Pudente, invece, sono suggeriti da una fonte cara all'autore, ovvero da Gerolamo. Le sante, al pari della nobildonna Paola celebrata dallo stridoniate, provengono da famiglia illustre, donano le proprie ricchezze ai poveri, si dedicano ai bisognosi e al servizio del Signore; il padre sembra esortare le figlie alla castità utilizzando le medesime argomentazioni presenti nell'Epistola XXII indirizzata ad Eustochio, dalla quale provengono, inoltre, gran parte delle citazioni tratte dalle Sacre Scritture che compaiono nel testo.

Il testo di Maniacutia è censito nella Bibliotheca Hagiographica Latina al n. 6920c² e risulta trådito da un numero limitato di testimoni, attualmente localizzabili nella totalità entro i confini del territorio romano: Città del Vaticano, Biblioteca Apostolica Vaticana, Vat. Lat. 1191 (ultimo quarto del XII sec.), Vat. Lat. 1196 (XII sec.) e Santa Maria Maggiore B (XII-XIII sec.); Roma, Biblioteca Alessandrina, Aless. 94 (XVI-XVII sec.); Roma, Biblioteca Vallicelliana, H.06 (XVI-XVII sec.).

L'unica edizione di cui si abbia notizia è quella parziale, nel 1762, nel *Corso dell'acque antiche* di Alberto Cassio³. Come si evince facilmente dal titolo, l'intenzione dell'autore è tutt'altro che letteraria: egli, infatti, si

2. *Bibliotheca Hagiographica Latina antiquae et mediae aetatis - Novum Supplementum*, edidit Henricus Fros, Bruxelles, Societ  des Bollandistes 1986 (Subsidia Hagiographica 70). Altre forme sono registrate come 6920, 6920a, 6920b, 6920f, 6920g, 6920k.

3. *Corso dell'acque antiche portate sopra XIV acquidotti da lontane contrade delle XIV regioni dentro Roma, delle moderne e di altre in essa nascenti*, Roma, 1756-1757, vol. 2, pp. 252 ss.

occupa di localizzare e definire le generalità delle Terme di Novato, utilizzando come documentazione anche la *Vita* delle sante, che riporta «tralasciate alcune erudite applicazioni da santa scrittura, inseritevi dal pio Scrittore», confrontando il manoscritto Vat. Lat. 1191, che data erroneamente all’VIII secolo, con il Vat. Lat. 1196. La trascrizione di Cassio mostra alcune notevoli differenze rispetto ai testimoni presi in considerazione: mancano, infatti, interi paragrafi, soprattutto di carattere dottrinale, e le varianti lessicali sono numerose dal momento che l’autore intervenne pesantemente sul testo per adeguarlo alle necessità di edizione.

Si propone qui la trascrizione del ms. di Santa Maria Maggiore (in sigla V), con alcune emendazioni basate sul confronto con i due codici Vaticani. Il testo, privo di peculiarità significative dal punto di vista formale, viene adeguato nella grafia alla norma classica. Sono state inoltre introdotte punteggiatura e maiuscole secondo l’uso moderno; la suddivisione in paragrafi, invece, rispecchia quella del manoscritto stesso.

INCIPIT PROLOGUS IN VITA PRAXEDIS ET PUDENTIANAE

Cum vitam beatarum virginum Praxedis scilicet et Pudentianae de inepto et corrupto sermone meditarer educere, ideo id exequi dubitabam quia a sancto viro Pastore dicebatur edita et ob hoc digna reverentia videbatur. Ubi vero deprehendi eiusdem operis pulchra principia de prologo passionis sancti Chrysogoni, qui post centum et eo amplius annos a presbiteratu Pastoris passus est, usurpata fuisse et eadem male cum sequentibus convenire, utpote si quis volens formare statuam caput quidem ipsius ex auro, reliqua vero membra fingat de luto, intellexi fore mendacium nec per retractationem ipsius operis beato viro aliquatenus derogari; sed nec eorum vaniloquia me ab hoc avertere debuerunt qui sanctorum gesta ideo legi prohibent, quia multa in eis contineantur quae potius a doctoribus ficta quam a sanctis seu illis atque illis sint effecta personis. Cum etiam in Prophetis, ut beatus Hieronymus super Ysaïam astruit ubi scilicet Nabuchodonosor detracto ad inferos insultant principes, quaedam dicantur facta non quod facta sint sed quod fieri potuerint, itaque firmavi propositum et prosecutus sum vitam virginum praefatarum et si non pulchriori tamen incorrupto tractatu et quo in earum laudibus amplius immoramur. Explicit prologus.

5

10

15

20

INCIPIT VITA

I. Post mortem Helii Adriani a quo Hierusalem, quam Titus subverterat, restaurata Elia dicta est, Antoninus cognomento Pius Imperii sceptrum suscepit.

Huius temporibus fuit vir in urbe Roma nomine Pudens, genere nobilis, honestate praeclarus, cuius pater vocabatur Punicus, mater autem Priscilla, quorum quidem arbitrio duxerat coniugem nomine Sabinellam, illustribus aequae ortam natalibus, de qua duas suscepit filias, pulchras specie sed moribus pulchriores, Pudentianam scilicet et Praxedem. Et postquam obiit uxor eius, vita apostolica delectatus, utpote qui

25

30

beati Pauli apostoli predicatione conversus et doctrinis eius saluberrimis fuerat informatus, spreuit mundum cum pompis suis, ieiunis autem et elemosinis ac peregrinorum susceptionibus vigilanter insistens.

Plures suo exemplo ad opus simile provocabat: adeo namque in
 35 catholicae fidei devotione fervebat ut inter ipsa novellae christianitatis primordia infra domus suae ambitum ecclesiam fabricaret et per manus sancti Pii Apostolicae Sedis episcopi dedicari deposceret, appellans eam titulum Pastoris, ex nomine cuiusdam reverendi presbyteri qui videlicet prudentia praeditus omni domui eius in bonis actibus assistebat. Est
 40 enim usque hodie Romae loco qui vicus Patricii appellatur et sanctae Pudentianae vocabulo insignitur.

2. Praeclarae vero virgines eius filiae, Pudentiana scilicet et Praxedis, ab ipsis cunabulis omni custodia custoditae, templum corporis virginalis dedicare Domino curaverunt. Nam post mundanarum litterarum
 45 scientiam qua eas pater imbuerat, adeptae quoque peritiam divinarum, cum in lege Domini die meditantur ac nocte, ad se illud apostolicum referebant «Templum Domini sanctum esse quod estis vos» et «Qui templum Domini violaverit, disperdet illum Deus». Se itaque Domino sollicite conservantes, impudicos iuvenum oculos fugiebant qui nesciunt animae pulchritudinem considerare sed corporis, vermibus utique et
 50 putredinis; et intrantes sui secreta cubiculi, nunc orando, nunc legendo, cum celesti sponso delectabantur, vel ipsae ei orando loquentes vel audientes eum sibi per scripturas loquentem.

Non enim vagabantur more virginum fatuarum, casum dominae ad
 55 memoriam reducentes cui inter viros incognitos ad tuendam gloriam virginalis nec patrem Israel nec fratres habere profuit Patriarchas. Ieiunabant cotidie praeter dies sollemnes sicut sancta Iudith quae, utique viriliter agens, Holofernis verticem amputavit, nec ieiunasse se reputabant si semel et non sobrie refecissent, scientes malum esse
 60 recompensare saturitate ieiunium eo quod terra nostri corporis, irrigata lasciviae, tribulos et spinas germinet voluptatis. Lavabant per singulas

47. I Cor 3,17 48. Ibid.

31. et *correxerit*: ut V

noctes cum Psalmista lectum suum, lacrimis stratum suum rigabant, vestibus utebantur humilibus et, si quis eas ignarus cerneret, nequaquam dominas sed quasdam esse crederet ex ancillis. Temptationibus quam maxime resistebant, non ignorantes astutias inimici et, quod non sit nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem sed contra spirituales nequitias in caelestibus, a detractionibus os continebant et aures ut videlicet nec ipsae detraherent nec audire vellent alios detrahentes. Avaritiam quoque modis omnibus conculcabant, scientes quia iuxta vocem dominicam «nemo potest Deo servire et mammoni» et, iuxta Salomonem, «qui amat divitias fructus non capiet ex eis» . Compositionem vultus quam super Dei figmentum quedam solent inducere omnino execrabantur et cunctas muliercularum superstitiones idolatriam reputabant et, ut totum breviter explicetur, omnibus studiis sollicite insistebant quibus et Deus colitur et tuta pudicitia conservatur.

3. Accidit autem ut Pudens earundem genitor aegrotaret et, quasi praesciens se viam universae carnis ingredi, sic Praxedem et Pudenciam alloquitur: «Scientes, carissimae filiae, multas esse molestias nuptiarum sed et videntes quia tempus breve est, elegistis caelesti sponso nubere et eius fidei anulo subarrari, elegistis thalamos virtutum gemmis instructos, elegistis immaculata cubilia et gaudia quae nullius tristitiae conturbantur accessu. Nemo ergo verbis vos seducit inanibus quibus quidam deceperunt mulierculas oneratas peccatis, verbum Domini praetendentes quo dicitur “Crescite et multiplicamini et replete terram”. Hoc enim edictum cucurrit cum vacuus erat orbis ut scilicet ampla terrarum spatia humana segete replerentur; hinc est quod quidam sancti pluribus simul utebantur uxoribus. Ideo et Rachel se sterilem irascendo conqueritur et Iacob patriarchae concubitus mandragoris comparatur, propterea et filia Iepte Galaaditis, voto moritura paterno, duobus mensibus virginitatem planxisse legitur quia scilicet virgo et absque filiis decedebat: maledicebatur enim in veteri lege sterilis et quae filios non haberet. Ubi vero repleto priori saeculo virgo concepit in utero et peperit patrem futuri saeculi, soluta est maledictio: mors enim per Evam, vita per Mariam.

70. Matth 6,24 71. Eccl 5,9 84. Gen 1,28

95 Tunc aliud edictum intonuit: “Qui non renuntiaverit omnibus quae
possidet non potest meus esse discipulus” et “Qui non baiulat crucem
suam et sequitur me, non est me dignus”. Veniens enim per uterum
Virginis in mundum, Deus familiam sibi novam instituit ut qui angelos
habebat in coelis, per virginitatis candorem haberet angelos et in terris;
100 ad hoc Apostolus in quo Christus loquitur, exhortans, ait: “Volo omnes
esse sicut me ipsum” et “Quae nupta est mulier cogitat quae sunt mun-
di quomodo placeat viro, quae autem innupta et virgo cogitat quae sunt
Domini ut sit sancta corpore et spiritu”.

105 Quod quidem vos eligentes de familia Christi estis quae angelorum
vitam geritis si integritatem cum qua natae estis conservare curetis, si
non vos tumor uteri et vagitus delectet infantum ipso flentium exordio
quo nascuntur. Amplectimini, rogo, filiae, bonum hoc et estote verae
virgines attendentes illud propheticum: “Et virgines bonae deficient”,
virgines – inquit – bonae quia sunt et virgines malae, virgines carne non
110 spiritu, virgines quae oleum non habentes excluduntur a nuptiis et, ut
vere sciatis quia perit et mente virginitas, recolite verba Christi: “Qui
viderit – inquit – mulierem ad concupiscendum eam moechatus est in
corde suo” .

115 Fugite ergo et cogitationes illicitas ut virginitate corporis et mentis
nitidae die vocationis vestrae paratae inveniamini, ut cum Sponso intre-
tis ad nuptias; cumque venerit princeps mundi huius et in vobis nihil
invenerit, tunc laetae cantabitis: “Anima nostra sicut passer erepta est de
laqueo venantium”. Qualis erit illa dies cum vobis diversi chori sancta-
rum occurrerint feminarum, Maria mater Domini cum virginibus,
120 Anna filia Phanuel cum viduis, Elisabeth mater praecursoris cum coniu-
gatis; tunc centum quadraginta quatuor milia in conspectu throni et ser-
vorum tenebunt citharas et cantabunt canticum novum. Hi sunt qui
cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt et sequuntur
Agnum quocumque ierit. Tunc erunt de vobis angeli laudatores,

95. Luc 14,33 96. Luc 14, 27 100. I Cor 7,7 101. I Cor 7,34 108. Amos 8,13
111. Matth 5,28 117. Psal 124,7

97. sequitur *correx*i: sequatur V 98. qui *correx*i: per V

archangeli paranimphi, Christus autem sponsus qui vos introducet ad illius gaudii nuptias “quod nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit”. Haec monita a vestris oculis non diffugiant: pater enim vester moritur et iam non erit vobiscum». 125

4. Respondentes beatae virgines Praxedis et Pudentiana dixerunt: «Novimus, pater, ita esse ut asseris, sed pete a Domino ut vias nostras dirigat, ut configat timore suo carnes nostras et perficiat gressus nostros in semitis suis, ne moveantur vestigia nostra». Et, cum adhuc eas salutaribus disciplinis instrueret et caelesti sponso cui eas desponderat commendaret, in confessione sancta emisit spiritum. Quod audientes Christiani una cum sancto Pio episcopo undique confluerunt et, exequias iuxta traditionem ecclesiasticam in ymnis et canticis celebrantes, dicatis Deo virginibus congrue astiterunt; sepelierunt autem eum sollemniter in coemeterio Priscillae, via Salaria, iuxta plures Christianae fidei confessores. 130 135

Ecclesia enim eo tempore, habebat pacem: nemo Christianis sua prohibebat legitima, eo quod ab imperatoria maiestate foret eis indulta securitas, non solum Romae et per Italiam, verum etiam in universo orbe Romano. Unde et Asianis eos turbare temptantibus talem pro eorum tutela, ut martyr Iustinus astruit, misit imperator epistolam: 140

5. «Aurelius Antoninus Pius Augustus Armenius universis simul plebibus Asiae salutem. Ego quidem non ambigo etiam ipsis diis curae esse ne quis noxius lateat: multo enim magis ipsis convenit punire eos qui sibi immolare nolunt quam nobis, sed vos confirmatis eorum quos persequimini sententiam quam de vobis habent, docentes vos impios et sine deo esse. Unde et optabilius habent animam ponere pro deo suo et mortem libenter amplecti quam vobis talibus acquiescere et vestrae religionis iura concedere. De motibus autem terrae, qui vel facti sunt vel etiam nunc fiunt, absurdum non erit morem me vestrum iusta commonitione solari, quoniam quidem comperi quod in huiusmodi rebus ad illorum invidiam communes causas transfertis. In quo illi quidem maiorem fiduciam accipiunt apud deum, vos autem in omni tempore quo de talibus ignoratis ceteros quidem deos negligitis: cultum vero 145 150 155

126. 1 Cor 2,9

immortalis dei, quem Christiani colunt, expellitis et deturbatis usque ad
 mortem cultores illius observantiae persequentes. Super quibus plurimi
 160 ex provinciis iudices etiam venerabili patri nostro scripserant, quibus
 rescriptum est ab eo ut nihil omnino molestiae huiusmodi hominibus
 generarent nisi forte arguerentur aliquid adversus Romani regni statum
 moliri. Sed et mihi ipsi de his quamplurimi rettulerunt, quibus ego
 paternam secutus sententiam pari moderatione rescripsi quod si quis
 165 persistit huiusmodi hominis absque ullo crimine movere negotia, ille
 quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit absolvatur etiamsi probetur
 id esse quod ei obicitur, is autem qui crimen obtendit reus poenae ipsius
 quam obiecit existat».

6. Gloriosae itaque virgines Praxedis et Pudentiana post patris obi-
 170 tum in domo propria commanentes piisque operibus studiose ac sollici-
 te insistentes, ceperunt omne patrimonium suum vendere et Christi
 pauperibus erogare et, communicato cum viro Dei Pastore consilio
 hoc, Christi virgines statuerunt ut fontem in titulo supradicto construe-
 rent in quo, adveniente sollemnitate Paschali, quotquot in communi
 175 familia gentiles essent per ministros catholicae fidei fierent Christiani.
 Quod cum sancto Pio primae sedis episcopo rettulissent, magno gavi-
 sus est gaudio, adeo ut non solum hoc fieri hortaretur, verum etiam
 eundem fontem suis ipse manibus designaret.

Quo Deo auxiliante perfecto, convocaverunt sacrae virgines Praxe-
 180 dis et Pudentiana suam familiam universam, tam de urbe quam de sub-
 urbanis possessionibus quae sibi a parentibus relictas fuerant, et, facta
 discussione, quoscumque invenerunt Christiana pollentes religione hos
 fecerunt ingenuos; quos autem gentili ritu squalentes ad Christianae
 legis credulitatem applicare devotissime curaverunt et, manumissione
 185 iuxta normam antiquam praesente sancto Pio episcopo celebrata, adve-
 niente Paschali gaudio, baptizati sunt promiscui sexus numero nona-
 ginta sex in titulo supra dicto.

7. His autem tali ordine consumatis, ceperunt Christiani agere in
 eodem titulo solemnes celebresque conventus et ibidem ymnis ac lau-
 190 dibus vacare diebus ac noctibus, ita ut magna multitudo gentilium

186. sunt *in marg.* V

eorum ritu delectata, legibus et superstitionibus patriis derelictis, ad fidem se converteret Christi. Super qua re facta est suggestio ab ethnicis Antonino Vero, quem scilicet Antoninus Pius vicesimo secundo imperii sui anno moriens successorem reliquerat, qui mox tale contra Christianos promulgavit edictum, ut eis sufficeret in suis habitaculis vivere, nulla communione saeculi hominibus iungerentur, nulla eis esset emendi vel vendendi licentia neque thermis publicis uterentur sed sola essent cohabitatione contenti. 195

Cumque multi propter hoc verbum in Dei caritate tepescerent, Praxedis et Pudentiana ferventes in Spiritu Sancto nihilominus suo serviebant Actori. Gaudebat et cum eis semper in Domino beatus Pius episcopus et vir Domini Pastor qui et frequenter vivam hostiam immolantes et verbum Domini ministrantes mentes omnium ad divinum obsequium incitabant. Occultabant namque se ibi multi alii Christiani quibus sponsae Christi, prout oportere cognoverant, de suis facultatibus ministrabant. Erat autem eis omnium cura praecipue pauperum infirmorum, quos tota etiam Urbe sollicitae indagantes, damnum sibi arbitrabantur inferri si alterius facultatibus regerentur. 200 205

Interea, post annos duos et dimidium, virgo Christi Pudentiana migravit ad Dominum, cuius corpus beatissima Praxedis diligenter involvens atque aromatibus condiens, beato Pio episcopo et viro Dei Pastore cum aliis Christi famulis debita obsequia celebrantibus, occulte habuit in supradicto titulo viginti octo diebus, quibus denique evolutis noctu transtulerunt illud et posuerunt iuxta patrem suum Pudentem, in coemeterio Priscillae, via Salaria, quarto decimo Kalendas Iunias. Rediens autem beata Praxedis ab obsequio funeris habitavit in titulo supradicto, afflicta propter transitum germanae suae Pudentianae, ad quam beatus Pius episcopus et multi Christiani nobiles venientes consolabantur eam, inter quos erat Novatus, vir illustris fide et operibus pollens, germanus Timothei presbyteri urbis Romae qui frequenter ad consolandum eam cum sanctis aliis veniebat. Hic pauperes Christianos suis donis quam maxime honorabat et ad solacium beatae Praxedis quasi vicem ipsius gerens de facultatibus suis omnibus ministrabat, rogans et petens ab ea ut orationibus eius indulgentiam a Domino mereretur. Qui et cum beato Pio episcopo et dei viro Pastore aliisque Christi famulis 210 215 220 225

vigiliis atque orationibus iugiter insistens dignum Domino obsequium exhibebat.

230 Cumque his operibus Deo placere contenderet, post annum unum et dies viginti octo contigit eum languere et a conspectu beatae virginis Praxedis abesse et, cum omnium Christianorum sollicitudo Pio episcopo et sanctae virgini immineret, requiritur vir Domini Novatus et dictum est a narrantibus quod aegrotaret et contristatus est sanctus episcopus et beata virgo sed et Pastor presbyter et omnes alii Christiani. Tunc beata Praxedis dixit ad sanctum Pium episcopum: «Iubeat sanctitas ves-

235 tra nos unum convenire ut in visitationem ei debitam impendentes mandatum Domini exequamur». Quod cum sancto episcopo placuisset, facta constitutione cum sanctis omnibus ad virum Dei Novatum sub nocturno perrexere silentio. Videns autem Novatus sanctos ad se venire, gratias egit Deo quia meruit a sancto Pio episcopo et Christi virgine Praxede atque aliis Christi famulis visitari et, cum octo diebus cum

240 eo iugiter permansissent, visum fuit viro dei Novato in praesentia sanctorum de suis rebus disponere et germano sui Timotheo presbytero ac sanctae virgini omnia delegare. Quibus omnibus sollemniter institutis die tertio decimo huius mundi turbines deferens laetus migravit ad

245 Dominum et, quia praefatus Timotheus longe ab urbe aberat, vir dei Pastor, consilio beati Pii ac beatae Praxedis, litteris omnia comprehendens per Eusebium sanctae Romanae ecclesiae subdiaconum eidem declarare curavit. Quibus ille susceptis huiusmodi scripta remisit:

250 8. «Timotheus presbyter sancto fratri Pastori et sanctissimae sorori Praxedi in Domino sempiternam salutem. Audiens ego, famulus vester, quod mihi scribere dignati estis magno repletus sum gaudio: mea enim votiva fuit et est conscientia ut quod germano meo Novato placuit et mihi placeat. Volo etiam ut in vestro arbitrio sit quicquid mihi ex eius parte provenit: accipite itaque plenariam de omnibus potestatem et

255 quod in oculis vestris rectum visum fuerit inde exequi procurate. Preterea deprecor ut commendare me dignemini memoriae sanctorum apostolorum et beato Pio episcopo sanctae sedis apostolicae et omnibus sanctis». Accipientes autem Pastor presbyter et beata virgo Praxedis hanc epistolam, gaudio repleti sunt et eam legendam beato Pio episcopo tradiderunt.

260

Eodem autem tempore virgo Domini Praxedis, accepta hac potestate, rogavit beatum Pium episcopum ut thermas Novati, quae iam in usu non erant, ecclesiam dedicaret quia venustum et ad hoc competens edificium videbatur. Quod et placuit sancto Pio episcopo et dedicavit ecclesiam thermas Novati in nomine beatae Praxedis virginis, quam et titulum constituit in urbe Roma in vico qui appellatur Laterica, in quo et baptisterium consecravit sub die tertio Idus Maias. 265

Quo etiam tempore constituit beatus Pius episcopus ut sanctum Pascha die tantum dominico celebraretur cum usque ad tempus illud a plerisque aliis celebraretur diebus. Eo autem gubernante ecclesiam Hermes librum conscripsit in quo continetur quod angelus Domini sibi in habitu pastoris apparuit, praecipiens quod omnibus divulgaret ut deinceps Pascha die tantum dominico celebraretur. Post menses autem duos obiit beatus Pius et sepultus est in Vaticano, iuxta corpus beati Petri apostoli, quinto Idus Iulias, cum gubernasset ecclesiam annis undecim, mensibus quatuor, diebus viginti uno. Hic fecit ordinationes quinque per mensem decembrium, presbyteros decem et novem, diaconos viginti et unum, episcopos per diversa loca numero duodecim. 270 275

9. Factum est autem post annos duos ut ex acclamationibus atque seditionibus vulgi adversus Christianos persecutiones dirissimae concitarentur, non solum Romae sed etiam per multas Romani orbis provincias, ita ut multa milia martyrum per loca singula fierent. Omnibus etenim viribus congressus est inimicus tamquam qui iam per acerbissimam persecutionis adventus sui ostentaret initia et per hoc instrueret et informaret ministros suos adversos servos Dei omne ministerium sceleris et crudelitatis exercere; ita ut primo eis domorum prohiberetur habitatio, post etiam processus ad publicum, ad ultimum vero ne omnino in quolibet loco, domi forisque, publico privatoque viderentur. Sed aderat Dei gratia quae fragiliores quosque de iniquorum manibus eripiebat: producebat autem in medium viros stabiliores columpnis, qui possent per patientiam suam non solum ferre impetus quos inimicus excogitabat sed et ultro expetere et sponte se omnibus vel opprobriorum vel tormentorum cruciatibus obiectare, et lassescentibus iam poenae tortoribus ipsi adhuc parum putare, pro eo quod moram sibi hanc esse quodam modo ad Christum festinantibus crederent. Rebus enim ipsis et 280 285 290 295

virtute clamabant quia non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Ferebant ergo fortiter acclamationes adversus se et probra atque iniurias populi et contumelias eorum laudes sui ducebant, sed et verberari se ab eis ac lapidari et
 300 concludi patienter accipiebant, aequanimiter suscipientes quicquid illud furentis vulgi exhibuisset insania.

Cum itaque sic fureret paganorum sevitia et Christianorum alii se ultro ingererent, alii vero ob metum persecutionis latebris foverentur, virgo domini Praxedis, fervens in Spiritu Sancto, multos Christianos occultabat in domo quibus et corporis et animae pabula ministrabat.
 305 Tunc divulgatum est Antonino Augusto eo quod conventus christianorum fierent in titulo Praxedis ac per hoc culturae deorum non modicum derogaretur. Qui statim furia concitatus misit et tenuit multos, inter quos tenuit Simetrium presbyterum cum aliis viginta duobus; quos
 310 omnes ut reliquis metum incuteret sine interrogatione gladio puniri praecepit in titulo supra dicto. Quorum corpora noctu beata Praxedis colligens, sanguinem quoque spongia quae hactenus extat de pavimento exhauriens, sepelivit iuxta patrem suum ac sororem in coemeterio Priscille sub die septimo Kalendas Iunias. Ipsa vero, gaudens in Domino,
 315 coronam martyrii anxie expectabat. Nam et hoc tyranni saepe fuerant comminati, nemo tamen audebat in eam manum mittere, tum pro personae reverentia, tum pro potentia propinquorum: ipsi enim eam reverebantur inimici fidei Christianae eo quod divina gratia cunctis eam praestaret amabilem. Affligebatur autem per dies singulos, aegre ferens
 320 suas differri nuptias: cupiebat enim interfici et esse cum sponso, recolens autem eum candidum et rubicundum eo quod absque affusione et cum effusione sanguinis suas ac sponsarum suarum sciat nuptias celebrare. Coepit avidè ab eo petere ne amplius moras faceret, sed iam quacumque via in suum eam cubiculum introduceret. Orationes autem
 325 eius pervenerunt ad Dominum et Dominus exaudivit eam. Nam cum frequenter ipsius animam tribulationis gladius pertransiret, quasi iam audiret a sponso «Veni de Libano, sponsa, veni de Libano, veni, coro-

327. Cant 4,8

305. Domino V *a.c. alterius manus*

naberis». Tricesimo quarto die post passionem supradictorum sanctorum qui est duodecimus Kalendas Augustas gloriosa migravit e saeculo.

Quis non hanc plus quam martyrem dixerit, et totiens occisam quotiens desideraverat occidi? Sic nimirum tres pueri sine sanguinis effusione coronam martyrii meruerunt, sic et beatus Iohannes Evangelista teste Domino bibisse legitur calicem passionis. Sacratissimum denique corpus eius sepelivit beatus Pastor, obsequentibus aliis Christianis, iuxta patrem suum Pudentem et beatam suam sororem Pudentianam, in coemeterio supradicto. Qui et ipse obiit septimo Kalendas Augustas, benedictus per omnia Deus in saecula saeculorum amen.